

relatione fidelissima hic esse sciremus et tamen ob negligentiam seu propter obiectionem aliquorum invidentium vel ignorantium venerationem debitam ei impendere dubitarem, nulla translationis eius scripta, nulla agnitionis litteratoriae signa dubitationi universae opponenda apparuerunt; quasi enim de illo fuit ambigere, nullam ei venerationis certitudinem impendere. Postquam vero, omni negligentia remota, venerari et exquirere patrocinia ceperamus, confestim ea quae actenus occultata fuerant, in literis invenire merueramus, id est quis esset et quando vel per quem huc translatus fuisset.

13. Ad haec igitur, cum apud nonnullos non tam questio quam affirmatio agitur de hoc sancto Dyonisio, qui huc translatus est Parisio, quod non sit Ariopagita, ideo scilicet facile errantes, quia multi eiusdem nominis esse leguntur: necessarium reor verba aliqua hic adnectere, per quae singulorum differentiam lector prudens citius valeat agnoscere. Quamvis enim abbas Hiltwinus epistolam copiosam de huius sancti viri qualitate et differentia scripserit<sup>1</sup>, nos tamen illis, aput quos forte non habetur haec predicti abbatis prolixa epistola, Domino annuente, breviter satisfacere conamur de eodem Dyonisio, et hoc non ex aliquibus ignotis vel modernis, sed ex antiquis et probatissimis sacrae scripturae auctoribus. Igitur Dyonisios quatuor in ecclesiastica Eusebii historia<sup>a</sup> legimus, quorum etiam primum in actibus apostolorum<sup>2</sup> invenimus. Hii quidem omnes celebres eximiique sanctae ecclesiae doctores, sed tamen quidam eorum temporum varietate longe ab invicem distabant, quidam vero sub uno tempore degebant. Primus namque Dyonisius Ariopagita, a loco, cui aput Athenas preerat, dictus, Paulo apostolo predicante Atheniensibus, Claudii cesaris<sup>b</sup> tempore conversus legitur, scriptura ita dicente<sup>2</sup>: *Quidam viri adherentes ei crediderunt, in quibus et Dyonisius Ariopagita et mulier, nomine Damaris, quae, sicut in capitularibus actuum apostolorum<sup>2</sup> legitur, uxor eiusdem<sup>c</sup> Dyonisii extitit. Et ut cognoscatur, sub quo cesare talia gesta sint, scriptura subiungit dicens<sup>3</sup>: eo quod precepisset Claudius discedere omnes Iudeos a Roma. De eodem quoque Dyonisio in tertio necnon in quarto<sup>d</sup> ecclesiasticae historiae<sup>a</sup> libro refertur. In tertii quidem capitulo quarto ita invenies<sup>4</sup>: *Memoratur autem ex comitibus Pauli Crescens**

a) hyst. öfter c.    b) cesarys c.    c) wiederholt, aber dann getilgt c.    d) legitur hinzugefügt, aber dann getilgt c.

1) Hiltwini Vita S. Dionysii, Migne Patrol. Lat. CVI, col. 14—50.  
2) Act. 17, 34.    3) Act. 18, 2.    4) Eusebii hist. eccl. III, 14; Migne Patrol. Graeca XX, col. 221. Doch nahm der Verf. diese Stelle vielleicht aus dem Briefe an Ludwig den Fr. in der Einleitung zur Vita S. Dionysii Hiltwins, wo dasselbe Citat uns begegnet.